



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

24. Dies Octob. Vera religio, in unius constat veri Dei servitio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

vivere, cui omnia vivunt, qui est vita tuæ vitæ. Mundi ergo desere, & illi servire desine, dum tempus est. Sic te adhortante Augustino : (a) Corrigant se, qui tales sunt, dum vivunt, ne postea velint, & non possint, quia subito venit mors, & non est qui corrigatur, sed in ignem mittatur. Uttere tempore: enim verò, Tempus deflendi, nunc, & peccata luendi.

## 24. DIES OCTOB.

Vera religio, in unius constat veri Dei servitio.

S. Fulgentius ad Donatum.

Dei in nos be-  
neficia, exigunt  
nostra obsequia.

1. **S**ervire famulum Domino, est æquum: servire hominem Domino dominantium, est plus quam æquum, quia est æquitas. Omnis religio constat in unius Dei servitio: alia omnis irreligiosa est religio. Cujus ergo suafimus amorem, supereft, ut pro virili, persuadeamus erga eum honorem, utpote cui soli debetur ab omnibus omnis honor. Hunc maximè prodimus obsequiorum officiis: officia extorquebunt benè expensa, Dei in nos immeritos merita. Primum honoris obsequium sit, illum ut par est, timere. Breviter, sed nervosè Tertullianus; (b) Hominis timor, Dei est honor. Vis causam timendi? suggeret Josephus Judæus. (c) Qui Deum respicere suam vitam credunt, delinquere non presumunt. Expectas jam, ut recenseam ejus beneficia? Quid volo revocare ad numerum, quæ sunt innumerabilia? (d) Suspicere cœlum, & numera stellas, si posse.

(a) De Temp. 164. (b) De pœnit. (c) Contra Apion. l. 2. (d) Gen. 15. 5.

tes. Citiūs, & faciliūs poteris, quod non potes, <sup>unum</sup> rare stellas cœli, quām beneficia Dei. Non tot cœlo lucent sidera, quot in tua cœlesti Animæ cent Dei munera. Sed agamus personam Arithmeti, & incipiamus inire numerum. Ingens fuit beneficium, quod Pater nos creaverit, non rogatus ab ullo: quod Filius nos redemerit, non adjutus ab ullo: super omnia, quod Spiritus sanctus nos Christianos elegerit, nemine promerente. Magnitudinem hujus beneficii, paucis exponit Arnobius: (a) Christiani fueris, spem salutis habere non poteris. Quid profueris nobis totius mundi Monarchia, si non fuissimus in Christianæ Ecclesiæ Hierarchia? Cùm verissimum sit illud Lactantii: (b) Ecclesia Catholica, est templum Dei, quo si quis non intraverit, vel à quo si quis exiverit, <sup>ad ipsa</sup> vita, ac salutis aeternæ alienus est.

II. O Bonitas ineffabilis, quia inæstimabilis! Quot Mauri, Turcæ, Judæi, Ethnici, Hæretici, si fuissent vocati in admirabile illud lumen, ad quod me, non rogatus à me, vocasti, quantò pluribus præme Ecclesiam tuam illustrassent meritis, te honorarent suis obsequiis. Et si me voluisses esse Hæreticum, inter Hæreticos vixissim ut Ethnicus, inter Ethnicos, ut atheus; inter atheos, ut atheorum primus. Itaque reliquisti illos omnes, quos si vocasses, fors propter te reliquissent omnia, & elegistim è millibus, à quibus præciebas te offendendum tot sceleribus. Tu cur feceris, nōsti, & ego, quid hīc dicam, nescio. Sunt hæc judicia tua, mira quidem, sed tamen justa, quæ par est potius admirari, quām scrutari, honorare, quām investigare.

(a) L. 3. (b) 4. ult.

Octob.

[a] De  
prehendi  
Interim  
luntate  
tantum  
litibi  
accepta  
ris, ob  
sostom  
confitu  
S. Am  
excusab  
dona,  
accipi  
bus.

III.  
fecit,  
ditus r  
ra reli  
vera re  
ut imp  
dignita  
ampli  
beat,  
bilis c  
cellat  
bilis,  
Conf  
Reges

(a)  
620

[a] Dei judicia nemo plenè comprehendit, justè nemo reprehendit: ut bene Augustinus, qui omnia optimè. Interim qui Deum expertus es in te non modò voluntate benevolum, sed liberalitate beneficium, non tantum impensè bonum, sed profusè blandum, nobis tibi nimium blandiri: quantum tibi gratularis ob accepta à Deo beneficia, tantum metuas, & angaris, ob futura ejus judicia. Hoc ipsum vult Chrysostomus. [b] Quantò majora beneficia sunt hominibus constituta, tantò graviora peccantibus judicia. Consonat S. Ambrosius. (c) Quò indulgentior liberalitas, eò inexcusabilior pervicacia. Viu' tertium? Cùm augmentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Dei dona accipienti non sunt bona, nisi qui acceperit sit bonus.

III. Multa tibi sunt facienda, quia Deus tibi beneficit, dum hominem fecit, hoc est, quia es præditus ratione, sed multò plura quia es imbutus vera religione. Parum tibi prodest recta ratio, si desit vera religio. Attende, & expende verba Cypriani, ut impleas officium hominis Christiani. (d) Cui plus dignitatis adscribitur, plus exigitur servitutis. Vera ergò amplitudo non ex eo pender, quod quis ampla habeat, sed amplius valeat. Non ideo Rex est laudabilis quia præcellit aliis dignitate, nisi præ aliis excellat Virtute. Hoc est, tum demum Rex est laudabilis, si is cui à multis servitur, ipse uni serviat Deo. Consentit mecum D. Augustinus. In hoc serviunt Reges Deo, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non

(a) 2. De civit. c. 25. (b) Discip. de tempor. (c) In Luc. 6, 20 (d) De simplic. cleric.

*non solum quæ pertinent ad societatem humanam, sed quæ religionem Divinam. Ab arbuscula humili, & fragilis præter fructum suo tempore reddendum, nihil exigitur; ab excelsa verò, speciosa, & spatiosa arbo, ut multa præbeat multis. Quæ illa? Frigentibus ligna, fessis umbram, esurientibus fructus, tum ut ipsa adversus omnes ventorum impetus se tueatur. Tu Christiane es inter homines, quod Cedrus Libani inter arbores. Es arbor bona, expectat à te celestis ille agricola, ut facias fructus bonos. Christianus es, hoc est, Princeps es; de Christianis enim dicitum est illud: [a] Constituit eos Principes super omnem terram. Quid te abjicis infra terram, quem Deus constituit principem super terram? Exclamat Tullius: [b] O Dii immortales, quām magnum est personam tueri Principis! O Deus immortalis! quām magnum est tueri personam Christiani hominis! sis ergo memor illius carminis:*

*Quantò major eris, perfectior esse teneris.*

### 25. DIES OCTOB.

*Imitare si potes, apis ædificia, formicæ stabula, bombycis stamina. Tertullianus adversus Martin. libr. I.*

Deus mirabilis in animalculis.

I **D**eum oportet non modò diligere, & colere, ut prius docui, sed admirari. Hoc nos docebunt his trinis punctis, non procera animalia, sed pusilla animalcula, Apis, Formica, Bombyx; in illis minimis, miraberis Deum maximum. Ordior ab Apibus: *Quām est apis exilis,*

& con-

[a] *Psal. 44. 17.* [b] *Philip. 2.*